Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1517

Quelle:
Copyright:

vertis de paſſer dans les pays étrangers, et aux Refugiés de venir en France ſans ſa permiſſion. Fait a Fontainebleau le 18. Sept. 1713. Addit: *Avec une très humble et très reſpectueuſe Remontrance a S. M. ſur divers inconveniens, qui en reſultent.* Verum, quamvis ſuperfuiſſet charta, non comparet haec Remonſtratio, ſiſtuntque Somnia infelicis Herois aeſtuantis anguſto limite mundi, de quo, qui tradidere, non ſatis adverterunt ad ea, quae circa Sacra moliebatur. Qui plura de eo volet, adeat Codices inter *Recentiores* Bibl. Palat. *Numeris* 1392—94. item 1405—6. ſignatos, ejusque Diarium ab a. 1698—1716. complexos; me enim jam hujusmodi nugarum taedet.

DCLIII.

R. 86 Codex chartaceus germ. Sec. XVIII. Folior. 312. f. ab Homine rudi et fanatico conſcribillatus referri vix meretur. Utrumque vel Titulus docet: *Treü hertzig vormanung zur auff Mundterung an alle Podentaten der Chriſten Welt keüſser kinige fürſten und beerenn burgameüſter und radt und Wehr das ſchwerdt der oberkeüdt in der handt hat daſs ſij doch in die welt ſechen wie es ihrem anbt gemüſs iſt und den Ellendten zuſtandt der kürchen Chriſtü die nun mehr under deſs theüffels und der böxen macht und gewaldt geraden iſt wüder raden und halffen* &c. Titulo ſubſcriptum: 1702. *den 14. tags diſes iabrs.* In Praefatione praeter hanc Exhortationem promittit Deſcriptionem Regni Diaboli, Sagarum et Antichriſti, Iter Italicum, et Fata ſua. Ait ſibi opus fore viginti annis ad ſcripta ſua perficienda, ut *Joh. Calvino* ad ſuas *Inſtitutiones Relig. Chriſt.* obſervaturque recentior ejus manus, qua Operi jam deſcripto *fol.* 3. p. 2. adjecit: Magni quidem ſe feciſſe Biblia; verum mutaſſe nunc mentem, comperto, multa ab iis promitti, nihil vero praeſtari. Sed apage blaſphemiam! Praefationi ſubjunctae ſunt temerariae et inſanae Epiſtolae ad *Fridericum* III. Elect. *Brandeb.* ad Epiſcopum *Curienſem*, ad *Rüdtlingerum* quendam Eccleſiaſten *Tigurinum* et *Joh. Beüme Norimbergenſ.* Atque his ſubditum comparet nomen Autoris: *Allexandter Peer zu thuſſis in bündt.* Igitur *Tuſcianenſis Griſo* fuit, cujus Lernam profundius intrare pudet, pigetque.

DCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1064
XIV. Folior. nunc 124. 4. maj. per duas columnas usque ad *fol.* 9. ab una, deinceps ab altera, eaque elegantiore manu ſcriptus et rubricis diſtinctus continet I. *Marſilii Menandrini*, melius *Mainardini* a Patria *Patavini* Opus pro Imperatoribus contra Pontifices inſignitum *Defenſor Pacis* circa an. 1324. cujus bina Exemplaria jam protuli *Vol.* I. P. 2. *col.* 2057.